

Joachim Schnobel Anton Heinrich Mollenbeck

Disputatio Iuridica De Nuptiis

Rostochi: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731857283>


Druck Freier  Zugang



Ehe

Schnabel-Mollenbeck. /c

R. U. J. 1644.



35

DISPUTATIO JURIDICA
DE

NUPTIIS

Quam

D. N. A. G.

Consensu

Amplissimæ & Nobilissimæ Facul-
tatis Juridicæ in illustri ad Varnum
Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi & Consultissimi

DN. JOACHIMI SCHNOBELII

J. U. D. & Profess. public. Dn. Præce-
ptoris ac Fautoris sui ætatem devenerandi.

Publico examini subijcie

ANTHON-HINRICH MOLLENBECK

Rinthelio - Westph. Aut. & Resp.

Habebitur in Auditorio Majori die 24. Ja.

uar. horis antemerid.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.

ANNO M. DC. XLIV.

73

1044

DISPUTATIO JURIDICA

IN UPPTIS


D. N. A. G.

Amplissimus et Nobilissimus Facultatis Juridicae



Dr. JOACHIM HANNOBELLI

MATTHON-HINRIKH MÖLLENBECK



DISPUTATIO JURIDICA

DE

NUPTIIS.

THESIS I.



Um omnis legitima tractatio, teste Tullio, à definitione proficisci debeat, meritò Nuptiarum definitio hîc præmittenda est. Nuptiæ (à nubendo sive obnubendo i.e. velando dictæ *Varro 4. de ling. latin.*) sunt viri & mulieris legitima conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens §. i. *Inst. de patr. pot.* Sive, ut Modestinus definit, sunt maris & fœminæ conjunctio, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio l. i. *de rit. nupt.*

II. Dicitur *viri & mulieris*, non, *viri & mulierum*, sive *mulieris & virorum*, ut excludatur *Bigamia*. Quæ tamen duplex est, Prior, quando duæ uno tempore habentur uxores; altera, quando priore mortuâ secunda ducitur. Hæc licita. *solus 10. de his qui notant infam. 1. Timoth. 5. v. 14.*

A 2

Cl.

§ I. *Corinth. 7. v. 39.* Illa tam Jure Divino *Gen. 2 v. 24. Matth. 19. v 5. 1. Corinth. 7. Eph. 5. circ. fin.* quam civili §. 6. § 7. *Inst de nupt.* est prohibita. Hinc duas uxores habens infamiâ notatur ut & duas sponfas l. 1. ff. *de his qui not. infam. l. cum qui duas* 18. C. *ad l. Jul. de Adult. l. 2. de Incest. nupt.* Hodie ex constitutione Caroli V. bigamus ultimo supplicio afficitur in der peinlichen Halsgerichts Ordnung Art. 121.

III. Per legitimam conjunctionem non intelligimus conjunctionem corporis, sed animorum, principaliter. Nam nuptias non concubitus sed consensus facit l. 30. ff. *de R. J. l. 15. ff. de Condit. § demonstr. l. 32. §. 13. D. de donat. inter vir. & uxor.*

IV. Porro *individua vite consuetudo* accipienda hîc est ratione intentionis : Contrahuntur enim nuptiæ eo animo & voto ut nunquam dirimantur l. 1. *D de Jur. dot.* Cæteræ societates coiri possunt ad tempus, societas conjugalis non nisi in perpetuum h. e. quamdiu socij vivunt. *Ernest. Cothman ad tit. Inst. de patr. pot.*

V. Per accidens quidem dissolvuntur non nunquam veluti Divortio, quod à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt qui distrahunt matrimonium *Gajus l. divorcium 2. ff. de divorc. & repud. l. 191. ff. de verb. signif.*
&

& nihil aliud est quàm legitima mariti ac uxoris
 separatio apud competentem judicem justis de
 causis contingens *Schneid. part. 4. n. 3 b. t.* Qua-
 rum causarum licet jure civili in *l. consensu licita 8.*
C. de repud. Nov. 117. c. 8. 9. § seqq. & Mosaico
Deut. 24. v. 1. plures numerentur, de jure tamen
 Novi Testam. & quo nunc utimur, quoad vincu-
 li solutionem non nisi Adulterium *Matt. 5. v. 32.*
§ 19. v. 9. & malitiosam desertionem wann ein
 Ehegatte den andern vorsehlicher weise vnd ohn er-
 heblichen vrsachen sitzen lasset *1. Cor. 7. v. 5. § 15.*
 cum Treutlero *disput. 6. volum. 2. th. ult.* & Arni-
 sæo *in tractat. de jure connub. c. 5. sect. 7. § 8. § c. 6.*
Sect. 4. agnoscimus.

VI. Additur in *d. l. 1. de rit. nupt. Divini § Hu-*
mani juris communicatio. Per jus Divinum & Hu-
 manum Gordianus *Imp. in l. adversus C. de crim.*
expil. hered. intelligit divinam & humanam do-
 mum: *Divinam*, quia conjuges unius ejusdemq;
 sectæ sive religionis esse debeant, ambo sc. Judæi
 vel ambo Christiani *l. 6. C. de Judæis.* Disparitas
 enim religionis maximè adversatur conjugio,
 præcipuè eo casu, quo absq; fidei & conscientiæ
 periculo conjuges unà vivere nequeunt *c. 7. Extr.*
de divort. Humanam, quia uxor sequitur domi-
 cilium & forum sui mariti *l. cum quadam 19. de Ju-*
risdict. l. exigere dotem 65. ff. de Judic. Et omnem
 digni-

dignitatem à marito accipit *l. fœmina de Senat. l. mulieres 13. C. de dignitat.* Hucusq; de definitione.

VII. Nuptiæ porrò sunt legitimæ vel illegitimæ *Vult. lib. 1. Jurisp. c. 19.* Ut sint legitimæ, hoc est regulis Juris civilis congruant, imprimis quatuor hæc requiruntur: I. Civitas Romana. II. Ætas justa. III. Consensus. IV. Sanguinis naturalis reverentia & juris civilis honestas. Quæ contra hæc contrahuntur vocantur nuptiæ illegitimæ.

VIII. Ad primum quod attinet, necesse est ut contrahentes sint cives Romani i. e. homines liberi *pr. Inst. de nupt.* nam inter servos & ancillas Jure Civili non nuptiæ sed contubernia contrahi dicuntur *l. 3. C. de incest. nupt.* & inde conjuges servorum appellantur contubernales *l. uxorem 41. §. codicillis & §. concubina de legat. 3. l. Stichius 20. in pr. de aliment. legat. l. Jul. paul. 81. de Condition. & demonstr.*

IX. Secundum requisitum consistit in justâ ætate, ut mares nuptias inituri sint puberes & fœminæ viripotentes *pr. Inst. h. t. l. 4. de rit. nupt.* Puberes dicuntur masculi cum decimum quartum, Fœminæ viripotentes cum duodecimum annum compleverunt *princ. Inst. quib. mod. tut. fin. l. fin. C. quando tutor. vel curat. esse desin.* Quare fœminæ citius pubescant quàm masculi, Alij ridiculam

culam dant rationem, nimirum quòd mala herba citius crescat, probabiliorem dat Valent Forst. lib 1. disp. 3. th. 17 quia, inquit, fœminæ sunt debiliores, frigidiores, ac humidiores.

X. Sed an dicta ætas (quæ admodum præcox videtur) extra reprehensionem stare possit quæritur? quod affirmamus: Quia Imperatori Rempublicam amplificare curæ fuit, quæ melius hominum quam pecuniarum adjectione augetur *l. cum ratio 7. §. si plures 3. de bon. damnat.* & inde à Justin. matrimonium seminarium quoddam civitatis eleganter appellatur *Nov. 22. in pr. facit l. dotium 1. Solut. matrim.* Interim tamen ne ex nimiâ nuptiarum festinatione incommoda exoriantur *Aristot. lib. 7. politic cap. 16.* non annorum solû sed & corporum externam & honestam habitudinis rationem habendam esse, statuimus.

XI. Tertiò requiritur *consensus* tam contrahentium quàm sub quorû potestate illi sunt *l. nuptia 2. de rit. nupt. l. nec filium 12. C. de nupt. l. 15. in fin. ff. de condit. & demonstr. princ. Inst. h. t.*

XII. Nam, quòd filij familias consensu patrum suorum nuptias inire debeant, naturalis & civilis ratio suadet *pr. Inst. de nupt. Naturalis*, quoniam æquum est ut parentes qui ad illam usq; ætatem liberos educârunt hoc honoris habeant & matrimonio consentiant *Theoph. Inst. hic. Civilis*
quia

quia velle non creditur, qui obsequitur imperio patris *l. 4 de R. 7.* Et inter cætera in eo consistit, ne per filiorumfam. matrimonia patribus invitis suis agnascatur heres *§. sed si quis 7. Inst. de Adopt.* Prior ratio tam matrem quam patrem complectitur, posterior solos patresfam. concernit, quia liberi familiam matris non sequuntur *l. pronuntiatio 195 ff. de verb. sign. l. pen. de lib. agnosc. §. ult. Inst. de patr. pot.* Rectè hinc concluditur, cum duplex ratio unam vincat *§. sed hodie Inst. de Adopt.* matris consensum non æquè esse necessarium ac patris.

XIII. Consensus hic parentum præcedere debet *prin. Inst. de nupt.* & nihil interest an sit expressus an tacitus *per l. 7 § un. in fin. de Sponsal. l. 5. C. de nupt.* nam qui tacet consentire videtur *c. 43. de R. 7. in 6.* Rati habitio verò ad hoc ut liberi ante nati sint legitimi non sufficit *per l. 13. §. 6. ad l. Jul. de adult. l. 11. de stat. hom. l. 65. de Rit. nupt.*

XIV. Sed si filius vel filia citra parentum consensum matrimonium inierit quæritur an rescindi possit? Et certè ob utilitatem publicam æquius esse existimamus ut secutâ carnali copulâ non dirimatur *Paul. lib. 2. sent. cap. 19: arg. l. patre 8. in fin. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 1. in fin. ff. de lib. exhib.*

XV. Nec potest pater filium qui absq; consensu

senſu ejus uxorem duxit aut filiam quæ injuſſu ipſius nupſit, exheredare, ſi filius filiaſve ad perſonam honeſtam ſe applicârunt, quia hæc cauſa inter quatuordecim illas cauſas, propter quas exheredari liberi à parentibus poſſunt non invenitur *Boreb. ad pr. h. t. n. 33. vide Decium in l. nuptias ff. de R. J.*

XVI. Præterea, quemadmodum conſenſus patrumfamil, in nuptiis filiorum adhiberi debet, ſic quoq; conſenſus ipſorum contrahentium, ut ſit liber, requiritur *l. neq; 14. C. de nupt l. Titia 134. pr. ff. de verb. obligat.* Cum notiſſimum ſit ei contrarium nihil magis eſſe, quàm vim & metum, & hunc comprobare bonos mores non pati *l. nihil conſenſui 116. de R. J.* Non autem intelligimus metum reverentialem. *l. ſed quæ 12. de Sponſal. l. ſi patrem 22. de rit. nupt.* nec vanum, cujus juſta excuſatio non eſt *l. 184. ff. de R. J. l. ſi quis 13. in pr. de re judic.* Sed omnino talem, qui in hominem conſtantem cadere poſſit *l. 5. § 6. ff. quod metùs cauſa.*

XVII. Et cum errantis nullus ſit conſenſus vel voluntas, ut dicitur in *l. non idcirco 9. § in l. cum teſtamentum 8. in fin. C. de jur. § facti ignor. l. ſi per error. 15 ff. de jurisd.* errore quoq; interveniente matrimonium vitiatur. Eſt autem error quadruplex: Perſonæ, conditionis, fortunæ & qualitatis *c. unic §. adhac v. verum § c. 29. q. 1.* Error perſonæ matrimonium prorfus vitiat uti etiam error

B

con-

conditionis *d. c. un. vers. Error verò personæ.* Non etiam error fortunæ & qualitatis *d. c. un. §. fin. vide Paul. Berens disp. 1 Cor. 1.*

XVIII. Quod si vero quis compressam ab alio pro virgine ignoranter duxerit, illam ut retineat, cogi non potest. *Schneid. ad h. t. part. 4. n. 61.*

XIX. Quartum justarum nuptiarum requisitum consistit in naturali sanguinis reverentiâ & juris civilis honestate, h. e. à quibusdam nuptiis vel ob cognationem vel affinitatem vel publicam honestatem abstinere oportet *Lindem. ad h. t. th. 6.*

XX. Cognatio est vel naturalis vel civilis vel spiritualis. Ratione cognationis naturalis I. inter ascendentes & descendentes, ut inter patrem & filiam, avum & neptem, vel matrem & filium, aviam & nepotem usque in infinitum nuptiæ sunt prohibitæ *l. nupt. 53. de rit. nupt. §. 1. Inst. de nupt.* quod adeò verum est ut si Adamus à quo omnes, quotquot in mundo sumus, descendimus, hodie resurgeret, uxorem non posset ducere; nam in matrimoniis contrahendis naturale jus & pudor inspiciendus est *Paul. ff. inl. adoptiv. 14. §. 2. de rit. nupt.* Cum etiam bestia plurimæ ab ejusmodi coitu, teste Justin. *in Nov. 12. c. 1. in med.* abhorreant. Hinc istæ nuptiæ quæ inter personas quæ nomine parentum & liberorum veniunt, contrahuntur *§. 1. Inst. h. t.* vocantur nefariæ, quasi sint nefandæ h. e. omninò non nominandæ vel contra fas h. e. omne jus contractæ.

XXI. II.

XXI II. Inter eas personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur est etiã prohibitio aliqua, quæ tamẽ in infinitum non porrigitur, ut inter fratrem & sororem, siue sint ab eodem patre eademq; matre nati (qui dicuntur germani) siue ab altero eorum (& sunt vel consanguinei vel uterini) §. 2. *Inst. de nupt. Levit. 20. v. 17. Deut. 27. v. 22.* ceterasq; in tertio gradu consistentes. Ulterioris gradus personæ indistinctè admittuntur §. duorum 4. *Inst. h. t. l. 19. C. eod. l. 3. ff. de rit. nupt.* nisi parentum liberorumve locum inter se obtineant §. 3. §. 5. *Inst. de nupt.*

XXII. Quamvis verò Jure civili consobrini rectè jungantur d. §. 4. *Inst. de nupt. l. 19. C. eod.* tamen secundum supputationem canonicam, quæ in causis matrimonialibus usurpari solet. *Schneid. hic in pr. n. II.* inter transversales nupriæ sunt ptohibitæ usque ad quartum gradum inclusive C non debet ext. de consang. §. ad fin. Moribus Saxonix etiam in tertio gradu permittuntur *We-senb. in parat. ff. de rit. nupt.*

XXIII. Ob necessitudinem cognationis civilis seu adoptionis, quæ naturam imitatur §. 4. *Inst. de adopt.* inter eos qui parentum liberorumve locum inter se obtinent nuptiæ contrahi nequeunt §. 1. *Inst. h. t. l. 14. in pr. §. 1. de rit. nupt.* ita ut etiam dissolutâ adoptione idem juris maneat *cit. loc.* item inter liberos adoptivos & liberos naturales

in potestate patris adoptivi constitutos §. 2. *Inst. b. t. l. 23. in fin. ff. de adopt. l. 17. in pr. ff. de rit. nupt.* Sed si per emancipationem adoptio fuerit dissoluta, talis prohibitio cessat *d. §. 2. Inst. b. t. l. 17. ff. d. rit. nupt.*

XXIV. Ob necessitudinem cognationis spiritualis per Sacramentū baptismatis contractam, nuptiæ prohibentur inter susceptorem patrum seu propatrem & levatam de baptisate *l. si quis alumnam 26. C. de nupt. t. t. X. de cognat. Spirit.* Cujusmodi tamen prohibitionem in nostratibus Ecclesiis non attendi testatur *Schweid. ad b. t. part. 3. n. 14.*

XXV. Ob venerationem affinitatis jungi prohibentur qui sibi invicem sunt parentum & liberorum loco ut focer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna *l. non facile 4. §. nomina ff. de grad. §. 7. & 9. Inst. de nupt. l. 14. §. nunc videamus & seqq. de rit. nupt. l. 40. ff. eod. l. 17. C. de nupt.* Et qui sibi invicem sunt loco fratrum & fororum ut puta levir, glos, sororius, fratria & similes *l. fratris §. l. licet 8. & l. fin. C. de incest. & inutilib. nupt. l. 4. §. 6. ff. de grad.*

XXVI. Inter comprivignos verò matrimonium esse potest, licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos §. 8. *Inst. b. t. l. 34. §. inter de rit. nupt. l. 134. pr. de verb. oblig.* illi enim inter se affines non sunt, cum affinitas tantum sit inter conjugem & alterius conjugis cognatos *Ernest. Cothman Inst. b. t.* XXVII.

XXVII. Præterea publica honestas ob quasi affinitatem nuptias nonnullas prohibet V.G. si uxor Titii post divortium ex alio filiam susceperit, filia hæc Titio non est vera privigna, & tamen malè cum ipsâ contrahitur, §. 9. *Inst. h.t.* Sic neq; pater cum sponsâ filij (licet hæc non sit nurus) nec filius cum sponsâ patris (quæ quidem non est noverca) contrahere possunt *d. §. 9. l. 12. §. 1* *Et 2. d. rit. nupt.*

XXVIII. Deniq; prohibentur inter quasdam personas nuptiæ propter inæqualitatem dignitatis & munera quæ sustinent, ut inter Senatores aut eorū liberos & libertas vel alias vilis conditionis fœminas *l. orat. 16 l. lege Jul. 44 pr. de rit. nupt. l. fillam 9 ff. de Senator. l. 20. §. 2 ff. de manum vindict. l. 17. de incest* *Et in tit. nupt.* quod tamen Justin. postea sustulit *in Nov. 78.* Sic inter magistratum & fœminam provincialem *l. 38. de rit. nupt. l. un. C. si rector provinc.* Inter militem & fœminam ex alienâ provinciâ *l. 65. ff. de rit. nupt.* Inter tutorem & pupillum *l. 59. de rit. nupt.*

XXIX. Fines conjugii sunt varii *Wesenb. in parat h. t. n. 6.* Respectu societatis humanæ finis ejus est procreatio liberorum *Gen. 1. v. 28. c. 8. v. 17. l. 220 §. 3. ff. de verb. sign.* Ratione ipsorum conjugum finis ejus est individua vitæ consuetudo seu confortium omnis vitæ secundum Modestin. *in l. 1. d. rit. nupt.* Quibus alii subordinantur qui omnes tendunt ad gloriam DEI. B 3 XXX,

XXX. Effectus matrimonii vel sunt communes utriq; conjugii vel mariti aut uxoris proprii. Communes inter alios sunt quod inter conjuges aliqualis bonorum exoriatur societas & communio. *c. significavit 2. X de donat. inter vir. & uxor. Gail. lib. 2. obs. 86. n. 14. & 15.* Quod omnium infortuniorum & calamitatum alterutri conjugieventientium participes reddantur *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* Quod liberi ex matrimonio nati regulariter successionum fiant capaces *tit. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. l. 7. in pr. ff. de bon. damnat. Nov. 118. c. 1.* Quod parentes à liberis sine veniâ in jus votari nequeant *§. fin. Inst. de pœnâ tem. litigant l. 4. ff. de in jus vocand. l. 3. C. eod. l. 4. ff. de Judiciis.*

XXXI. Effectus mariti proprius est quod sit caput & quasi Dominus uxoris *1. Petr. 3. v. 5. & 6. Wes. par. de rit. nupt. n. 6,* Et in eam potestatem habeat maritalem *Gen. 3. v. 16.* Rectè dicitur *maritalem non herilem.* Nam infirmitate peccans non plagis afficienda, quia unicè diligi jubetur, ut proprium corpus *Eph. 5. v. 25. & seqq.* imò non solum venia sed etiam honor illi debetur *1. Pet. 3. v. 7.* Und. *Glos. in cap. fin. v. costa. 33. q. 5.* Mulier non ex capite viri prodiit ne heræ sibi partes arroget, nec ex pede ne serva planè videatur, sed ex costâ ut lateri adhærens socia sit marito.

XXXII. Effectus mariti proprius etiam est quod marito acquiratur potestas in liberos *pr. & §. fin.*


§. fin. *Inst. de patr. pot.* quæ matri non competit.
§. 10. *Inst. de Adopt.* §. 3. *Inst. de hered. qualit.* Cujus
intuitu pater olim vitæ necisq; potestatem habe-
bat in liberos *l. in suis* II. *in fin. de lib. & posthum. l. fin.*
C. de patr. pot. Sed cum patria potestas non in a-
trocitate sed in pietate consistere debeat. *l. 5. ff. de*
l. pomp. de parric. asperitas ista meritò sublata est,
ita ut acerbissimè puniantur qui liberos occide-
runt *l. unic. C. de his qui parent. vel lib. occid.* potest
tamen hodie adhuc pater filium decenter emen-
dare *l. unic. C. de emend. propinq. & refractarium.*
Magistratui incarcerandum dare *l. 2. D. ad l. Corn.*
de Sicar. Jure patriæ potestatis etiam quicquid
filius acquirit id patri suo acquirit, quod tamen
de peculio profectitio intelligendum §. 1. *Inst. per*
quas person. nob. acquir. Adventitium proprietate
filiorum fam. est, usufructu parentum *l. cum oportet*
C. de bon. qua. lib. d. §. 1. Inst. per quas pers. nob. ac-
quir. Castrense peculium pleno jure pertinet ad
filium *l. 2. ad Sc. Maced.* ut & quasi castrense *l. 1.*
§. t. t. ff. de castr. pecul.


XXXIII. Uxoris proprius effectus matrimo-
nij est quòd si uxori injuria illata sit, vir injuria-
rū agere possit *l. §. fin. §. l. 2. ff. de injur. §. 2. Inst. eod.*
defendi enim uxores à viris, nō viros ab uxoribus
æqvum est *cit. loc.* Quòd uxor dignitatem & ho-
norem mariti accipiat, domiciliumq; ejus sequa-
tur etiamsi defuncto marito vidua facta fuerit
l. famin.


l. femina ff. de Senator. l. fin. C. de incol. filij 22. §. 1. ff. ad municip. l. cum te 10. C. de nupt. Si autem minoris ordinis viro postea nupta fuerit, posterioris mariti sequetur conditionē *l. mulier. 13. C. de dign.*

XXXIV. Superest ut dispiciam^o de pœnis contra leges contrahentium, quarū aliquot proponuntur in § pen. *Inst. de nupt* Primū contrahētes injustas nuptias viri & uxoris appellationem (cum utrumq; nomen dignitatis nomen sit) non consequuntur. Deinde conjunctio eorum neque nuptiæ neque matrimonium appellatur, quæ enim contra jus fiunt juris nomen non merentur *l. non dubium 5. C. de ll. l. fin. C. de sentent. ex princ. recit.* Sic nec dos esse intelligitur, quæ tantū refertur ad ea matrimonia, quæ consistere possunt *l. 2. de jure dot.* Liberi quoque ex injustis nuptiis procreati in potestate patris non sunt, sed quoad patriam potestatem similes sunt iis quos mater vulgò concepit, qui Spurij (h. e. nati ex scorto) appellantur *l. vulgo 23. ff. de stat. hom* Præterea confiscatione bonorū, cinguli spoliatione, exilio, verberibus & infamiâ puniuntur *Auth incest. C. de incest. nupt. Nov. 12. c. 1.* quæ pœnæ ex diversitate delicti modò graviores modò leviores esse solent. Et hæc ratione instituti, de amplissima nuptiarum materiâ, hac vice dixisse, sufficiat.

TRIUMI DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.







patr. pat. quæ matri non competit.
Adopt. §. 3. Inst. de hered. qualit. Cujus
olim vitæ necisq; potestatem habe-
l. in suis II in fin. de lib. & posthum. l. fin.
Sed cum patria potestas non in a-
n pietate consistere debeat. *l. 5. ff. de*
ric. asperitas ista meritò sublata est,
mè puniantur qui liberos occide-
de his qui parent. vel lib. occid. potest
adhuc pater filium decenter emen-
de emend. propinq & refractarium.
carcerandum dare *l. 2. D. ad l. Corn.*
e patriæ potestatis eriam quicquid
id patri suo acquirit, quod tamen
ofectitio intelligendum §. *1 Inst. per*
h. acquir. Adventitium proprietate
est, usufructu parentum *l. cum oportu-*
ua lib d. §. 1. Inst. per quas pers. nob. ac-
e peculium pleno jure pertinet ad
Sc Maced. ut & quasi castrense l. 1,
tr. pecul.
Uxoris proprius effectus matrimo-
i uxori injuria illata sit, vir injuria-
l. 1. §. fin. & l. 2 ff. de injur. §. 2. Inst. eod.
uxores à viris, nō viros ab uxoribus
ut. loc. Quòd uxor dignitatem & ho-
accipiat, domiciliumq; ejus sequa-
defuncto marito vidua facta fuerit
l. famin.